DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

TVENDA VALETVDINE RECENS NATORVM

QVAM

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS IN ACADEMIA IVLIA

CONSENSV

PRAESIDE

D. BRANDANO MEIBOMIO

ARCHIATRO GVELPHICO, MEDICINAE PRACTICAE PROFESSORE ORDINARIO FACVLT. MEDIC. SENIORE ET H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

OMNIBVSQVE IVRIBVS ET PRIVILEGIIS

RITE OBTINENDIS

D. XXVIII. DECEMBR. MDCCXXXI.

PVBLICO ET SOLENNI ERVDITORVM

EXAMINI SVBMITTET

TOBIAS GROVE

HALBERSTADIENSIS.

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII

ACAD. TYPOGR.

PRAEFATIO.

AD tuendam hominum valetudinem non ſufficere communes ſanitatis regulas & generales medendi leges; ſed eas multiplici ratione & inprimis etiam reſpectu aetatis variare, apud Medicos in confeſſo eſt, ipſaque ratio & experientia quam maxime id confirmant. Vti enim temperies atque textura corporum in annos mutantur & pro diverſitate vivendi plurimum variant, ita diverſi morbi & affectus hinc originem habent, & cuilibet aetati proprios ſive magis familiares HIPPOCRATES *in aphorismis* aſſignat. Equidem VIRGILIVS *lib. 3. Georg. ſcribit:*

Optima quaeque dies miſeris mortalibus aevi
Prima fugit: ſubeunt morbi triſtisque ſenectus,
Et labor & durae rapit inclementia mortis.

Aſt vero ſi experientiam conſulamus, nec prima hominum aetas a morborum miſeriis integra vel immunis exiſtit. Et non male *Cous Senex Epiſt. ad Damag. exiſtimat*, ὅλον τὸν ἄνθρωπον ἐκ γενετῆς νȣ̃σον ἐιναι, *totum hominem a nativitate morbum eſſe*. Neque hoc mirum videri poteſt, cum & tenera primo natorum conſtitutio facile laedatur, & inſignis illa mutatio, quam in lucem editus infans protinus ſubire cogitur, plurima damna tenello corpori facile inferre poſſit. Et vero cum hic futurae per totam vitam valetudinis fundamenta jaciantur, & commiſſa in primis annis delicta dein difficulter aut nunquam tolli vel emendari queant; eo accuratius ſanitatem tenellorum conſervandam providamque eorum rationem habendam eſſe, ſemper exiſtimavi. Quantum igitur temporis ſpatium concedit, quae ad tuendam valetudinem recens natorum faciunt, hoc inaugurali ſpecimine nunc conſiderabo. Cui labori ut clementiſſimum Numen ex alto faveat & benedicat, ſubmiſſe precor.

§. I.

Si foetus in lucem editi conditionem, & notabilem illam, quam tenerrimum corpus, dum vitales auras ſubit, perferre cogitur, mutationem, perpendamus; plurimis eo ipſo incommodis morbisque eos exponi, facile cogitari poteſt. Et ſummi Conditoris ſapientiam ut admiremur, maxime decet, quod plurimi infantes nihilominus ſani & vegeti hac lucis uſura fruantur. Dum enim eo ipſo momento aer pulmones tenellorum ingreditur & ſanguini eorum ſe miſcet, novumque motum huic conciliat, imo dum

pere-

peregrinis qualitatibus præditus omnes corporis poros ſubit, oculos afficit, nares, aures & ventriculum intrat; motus etiam ſanguinis, abſciſſo umbilico aliter ſe habere incipit, plures tamen infantes ab omnibus ſymptomatibus immunes vivere & ſanos agere, mirabilis corporeae ſtructurae artificium quam maxime prodit.

§. II.

Interim excluſus ex utero infans non raro debilis vel infirmus deprehenditur, quod probe diſpiciendum eſt, ſignaque debilitatis & a matre & ab ipſo infante deſumi ſolent. HIPPOCRATES *Sect. VI. aph.* 52. *infirmum foetum* ſignificare, docet: *Si mulieri in utero gerenti multum lactis ex mammis fluxerit, & mammae flaccidae fuerint.* Et idem CELSVS *L. II. cap.* 7. confirmat: *Mulieri gravidae ſi lac ex mammis profluat, imbecillum eſt, quod intus gerit, durae mammae ſanum illud eſſe, teſtantur.* Quod & utplurimum ita ſe habet, dum debito alimento ſic defraudantur infantes. In aliquibus tamen, inprimis in plethoricis feminis contrarium obſervatur, quae graviditatis tempore lac ſatis copioſum profundunt, vegeto manente foetu. Porro ſi mater tenerioris vel morbidae conſtitutionis exiſtat, aut graviditatis tempore morbis laboraverit, foetus imbecilli utplurimum eduntur. Si motus foetus utero exiſtentis debilior fuerit, vel ipſe morbis in eo laboraverit, vitium quoque utplurimum trahere & morbidus naſci ſolet. Si juſto partus tempore non excluſus foetus ſed ante maturitatem exturbatus fuerit. Animi etiam affectus & perverſae matris imaginationes non raro in foetus redundare & mor-

bosum ipsis characterem imprimere solent, sicuti tristia exempla abunde testantur. Inprimis vero in difficili partu multum patiuntur & vegeti alias infantes debilitari & infirmi reddi possunt.

§. III.

Infirmitatis indicia ab infante desumuntur, primo quando justo partus tempore, quod est mensis nonus completus, sive initium mensis decimi aut septimana quadragesima non prodierunt. Equidem qui sexto graviditatis mense aut citius excluduntur, unguibus destituti, minus perfecti, & vitales esse non solent. Qui septimo aut octavo mense nascuntur, vivunt quidem aliquando, imbecilli tamen & morbidi utplurimum observantur. Considerari tamen hic imprimis debet, an foetus talis immaturus membra omnia perfecta habeat, an minus; & haec perfectionis signa cum reliquis merito conjungenda sunt. Et ita attendendum est ad oculos, an naturalem motum habeant, imo ad partes omnes, an rite & naturaliter sint constitutae an respiratio naturaliter fiat, an multum clament, an vox sit clara & robusta, an vero rauca & debilis, an pulsus naturalis, an debilis, imo nullus percipiatur. Haec enim si a statu naturali multum recesserint, debilem infantem significare solent. Aliquando etiam signis non opus est, & ex utero matris per partum difficilem prodeuntes adeo infirmi sunt, ut vix vitae aliquod indicium appareat.

§. IV.

Quod si jam ex signis & circumstantiis judicemus, natum infantem praeter naturam debilem sive infir-

infirmum esse, prima cura esse debet, ut refocilletur sive corroboretur. Possunt spiritus ejus excitari vellicationibus, titillationibus, (titillationem praeputii in pueris quidam prae aliis laudant) ictu in nates &c. Potest infans lotione seu fotu calido ex vino externe fricari, lintea madefacta spirituosis, aqua epileptica Langii & similibus vertici, cordi & pectori applicantur. Imo ori aliquid vini calidi vel aquae cinnamomi cum digito immitti potest. Ad inflandos pulmones eorumque motum excitandum, halitum in os immittere solent, ubi fortassis non inutile esset, ut caryophylli vel cubebae prius masticentur, & sic ille efficacior effadat. Quidam crocum naribus admovent & varia spirituosa adspergunt. Vomitus levis mediantibus oleosis & digiti in os intrusione excitatus etiam confert. Prae aliis vero auxiliis hic commendatur suctio papillae sinistrae, eamque aliis irritis profuisse testantur Joh. Lud. HANNEMANNUS & Samuel LEDELIUS. vid. *Miscell. Nat. Cur. decur. II. A. V. obs.* 21. *& A. VI. obs.* 59. item *A. VII. obs.* 67. Imo insignem hujus experimenti successum a Cl. Dn. PRAESIDE ante aliquot annos in nobili quodam puero annotatum esse comperio. Ratio hujus experimenti non adeo evidens est; forte autem per suctionem talem in tenero corpusculo institutam halitus & vapores in pectoris musculis & circa cor & pulmones haerentes haecque viscera comprimentes dissipantur & exsuguntur, ut liberum motum peragere possint.

§. V.

Sed videamus nunc ulterius, quid ad tuendam valetu-

letudinem nati infantis faciat. Ante omnia membranae foetum vel ex parte vel totum cingentes removendae ſunt & adhaerens funiculus umbilicalis reſecandus eſt. Hic funiculus ex duabus arteriis & una vena, umbilicalibus nominatis & vaſe quodam ſive canali, uracho dicto, in homine rariſſime pervio, conſtat; & inſignem foetui uſum in utero ad nutrimentum deferendum & in ipſo partu praeſtat, cum ejus ope placenta uterina extrahatur. Nunc vero edito foetu, aut etiam ante, ſi opus ſit, tanquam inutilis a cohaerente amnio membrana & placenta uterina reſecandus eſt. Quod caute fieri debet, & cavendum, ne vel juſto longius vel brevius reſecetur: illud enim ſi fiat, hernia umbilicalis aliquando naſcitur, brevior autem ſectio haemorrhagiam gravem ſaepe cauſatur. Ligatura hinc conveniens inſtitui & umbilico vinum calidum aut oleum roſaceum, admiſcendo parum pulveris cujusdam adſtringentis, applicari poteſt. Curandum etiam, ne mali huic quid deinde accedat, nec abrumpenda eſt pars relicta funiculi, ſed expectandum, donec illa ob defectum nutrimenti ſponte decidat. Quodſi vero nihilominus haemorrhagia oriatur, pulveres ſtegnobici ex bolo arm. ſangu. drac. myrrha & ſimilibus locum habent.

§. VI.

Porro cum cutis recens natorum muco quodam viſcido & quaſi cruſta obducta ſit a liquore Amnii, in quo tam diu haeſit, illa cruſta detergenda eſt, ut cutis pori aperiantur, tranſpiratio inſenſilis promoveatur, & ita affectus atque incommoda, quæ inde originem habere poſſunt, praecaveantur. Veteres Germani te-

ſtan-

ſtante Tacito foetus editos aqua frigida abluebant, vel frigido flumini immergebant, corpora ut eorum indurarent ſive robur illis aliquod conciliarent. Sed jam tum Galenus hunc morem improbat ob ſubitam illam mutationem ex calore in frigus; quoniam in calido admodum loco diu verſati fuere infantes, & dein repente frigidae aquae immittuntur, & omnis ſubita mutatio in corpore noſtro periculoſa deprehenditur. Quemadmodum exemplis adultorum, qui in aere calido verſati mox frigido ſe exponunt, vel qui motu nimio incaluerunt & frigidum hauſtum aſſumunt, quotidie innoteſcit, in quam graves ſcilicet morbos exinde ſaepius incidant. Id quod in teneris infantum corporibus eo magis metuendum eſt. Calida igitur ſive tepida aqua potius abluendum infantem eſſe cenſemus. Quidam cum vino abluunt, alii etiam herbas aromaticas, betonicam ſalviam & ſimiles cum aqua vel vino coquunt & inde balneum parant. Oleis etiam nonnulli utuntur, imo urina infantis. Galenus etiam ſalis aliquid admiſcendum eſſe voluit, quod tamen cum mordendo laedere infantes poſſit, fortaſſis ſapo eſſet ſubſtituendus, cum ille partes mucilaginoſas & ſalinas ſimul contineat. Aquam vero tepidam ſi ſumamus, indito ſacculo furfuribus tritici repleto, & abluere infantes & fricare ſatis ad immunditiem tollendam poſſumus. Iterari vero etiam tale balneum poteſt primo tempore, ſingulis vel alternis diebus, ut ſcilicet ſordes eo melius detergantur & frictione illa partes & membra ad motum & functiones naturales obeundas aliquantum excitentur.

§. VII.

Hinc vero etiam obſtetrix totum infantis corpus examinare & explorare debet, an omnes partes ejus rite ſint conformatae, an ſinguli ductus ſint pervii & patentes, ſcil. virgae, anus, narium &c. ut in tempore & convenienti modo aperiri queant; an aliquid praeternaturaliter cohaereat vel diſtortum ſit, ut ſeparari vel reponi poſſit. Attendendum etiam, an in quadam corporis parte, praeſertim ubi gravior partus praeceſſit, ſanguis ſubſiſtat, ſive contuſiones aut ſugillationes adſint; ubi fotus vinoſi & ex herbis nervinis & diſcutientibus parati prodeſſe ſolent, ut & olea, hypericum myrtinum &c. Quod ſi forte intertrigo ſeu quaedam eroſio papillarum nervearum ſerum plorantium & dolorem excitans, praeſertim pone aures, circa collum, ſub axillis & circa pudenda adeſſe obſervetur, curandum eſt, ut reliquum corpus praeſervetur. Linteis igitur mollioribus (non recentibus, ne tranſpiratio ſuffluminetur) ſudor abſtergendus, urina ſi reddita ſit, aqua detergenda & deſiccanda eſt. Et ſi particulae acriores jam ipſam cutim corroſerint, pulveres exſiccantes, ut roſar. rubr. boli, ceruſſae parti affectae inſpergere ſolent. Imo ſi putredo quaedam adeſſe videatur, myrrha dictis addi poteſt & ſi major affluxus humorum conjunctus ſit, camphora & lapis calaminaris. Si malum pertinax fuerit, etiam lenia laxantia proſunt.

§. VIII.

Quod ſi forte inteſtinum rectum non pateat, immiſſo in anum leviter digito Obſtetrix id ſæpe aperi-

re poteſt, interdum vero & ſectione aliqua opus eſt, quam Chriurgus caute inſtituere debet. Nares ſi obſtructi fuerint, ſaepe oleum amygdalarum dulcium vel aqua majoranae cum pauxillo ſpiritus ſalis armoniaci ſufficit. Alii vitriolum album in aqua ſolutum ſuadent. Obſervatur vero etiam aliquando, capitis figuram non recte ſe habere, quoniam hand firmiter cohaerentia oſſa in partu, praeſertim difficili, a ſe facile divelluntur, ut figuram naturalem rotundam non amplius habeant; leni tum compreſſione opus eſt, ut in formam naturalem caput iterum redigatur. In capite ulterius conſiderari debet fovea in fonticulo dicto ſeu ſpatio illo fere triangulari, quod obſervatur in concurſu ſuturae coronalis & ſagittalis. Haec fovea in ſtatu naturali exiſtit elevata; aſt ſi depreſſa ac incurvata appareat, pro malo ſigno habere ſolent, vel futurae mortis aut ſtatus ſaltem morbidi. Lintea aqua ſpirituoſa vel vino calente madida, addita gutta una olei cinnamomi, hic commendant, ut ſtatim applicentur, & naturae laboranti ſuppetiae ferantur, & talia non infrequenter juvare obſervantur. Quod ſi linguae frenulum non rite formatum ſit, ut linguae motus impediatur, hoc vitium tollendum eſt, ubi obſtetrices unguibus utuntur, ſed vitium aliquando faciunt, ubi nullum adeſt. Rectius igitur Chirurgus mediante forfice partes inutiles abſcindit, ut lingua naturaliter moveri poſſit & vulnuſculum melle roſaceo aliisve iterum conſolidat.

§. IX.

Obſervari vero etiam merentur naevi materni,

 qui

qui infantes recens natos non raro defoedant. Distinguuntur in amorphos & emorphos: illi vocantur quando in facie aut reliquo corpore pars aliqua nigro, fusco vel livido colore praedita notatus, & quoniam a terrore ex incendiis frequenter observati fuerunt, germanice dicuntur die Feuer-Mähler. Emorphi vocantur, quando similitudinem fructuum, cerasorum, mororum, prunorum &c. aut animalium, murium, serpentum & sic porro habent. Qualia exempla passim notantur & in *Misc. Natur. Curiosor.* magno numero recensentur. Variant & interse naevi, quod modo protuberent, modo plani sint, figuraque & colore inter se admodum discrepantes. Notum est a fortiore matris imaginatione vel impressione, aut terrore utplurimum hos naevos ortum trahere. Quomodo autem illud fiat, in quibusdam inprimis casibus, difficulter explicari potest, & locum hic habet illud FERNELII *lib. 2. de abditis* rerum *causis*

Multa tegit sacra in volucro natura: neque ullis
Fas est scire quidem mortalibus omnia; multa
Admirare modo nec non venerare, neque illa
Inquire quae sunt arcanis proxima: namque
In manibus quae sunt, haec nos vix scire putandum:
Est procul a nobis adeo praesentia veri.

Videntur vero ab affectibus dictis spiritus animales certum ac determiratum, licet nobis indefinitum, motum, acquirere & eundem foetui in utero contento imprimere, eoque modo tenera & molliuscula ejusdem membra varie signari. Ita observamus, si gravida maximo desiderio hos vel illos fructus comedendi excitetur & voti compos fieri non possit, foetum deinde natum,

tum talium fructuum notas in aliqua corporis parte saepe referre. De gravida quadam testatur MARCUS MARCI, eam a pomi, quod deperibat, esu prohibitam enixam fuisse foetum, ex cujus mala pomum proprio petiolo adhaerens pependit. Singularis maternae imaginationis exemplum mihi retulit *Clar. Dn.* PRAESES quod in vicino oppido contigit. Scilicet gravida quaedam in templo angelum conspexit, cui brachium abruptum erat, eoque tam fortem impressionem sibi fecit, ut puer dein natus uno brachio careret, ita tamen, quod vix credi potest, ut duo digiti adhuc corpori adhaererent, quos movere puer jam adultior pro lubitu poterat. A terrore vero etiam saepissime perversa talis impressio contingit, quando scilicet mus aut aliud animal inopinato occurrit, aut si quae gravida cum pomo, pruno aut alio fructu feriatur, qualia exempla mihi nota sunt, & de mure cuidam gravidae inopinato occurrente exemplum notabile suppeditat Joh. Lud. HANNEMANNUS *Ephem. cur. Dec. III. A. 2. pag. 204.*

§. X.

Cura naevorum difficilis utplurimum esse solet & interdum impossibilis. Multos tamen curatos recenset HILDANUS *cent. V. obs. 46.* Pro specifico remedio obstetricibus imo Practicis quibusdam habetur secundina a parturiente extracta & calens adhuc naevis affricata. vid. G. W. WEDELIUM *in physiologia reformata.* Noxium vero hoc remedium extitisse, legimus in *Ephemer. Germ. A. IX. & X. Dec. 3.* Menstrua virginis intactae HARTMANNUS commendat.

Helmontius laudat partis affectae frictionem cum manu mortui chronico morbo defuncti, donec illa incalescat. Sanguinem leporinum calentem illitum alii commendant, imo sanguinem lochiorum vel menstruum matris; frequentem item cum urina lotionem. Quidam laudant radices & folia herbarum recentium, cyclaminis, sigilli salomon. nymph. &c. vel succos inde expressos. Alii corrosivis tollere naevos conantur, caute tamen id fieri debet, & nonnunquam cicatrix sequitur gravior ipso malo. Sectione etiam naevos protuberantes tollunt, dum tumorem filo constringunt, & dein abscindunt, cavendo, ne arteria vel nervus laedatur & dein vulnus more consueto sanant. Caute vero etiam hic agendum & praestat quosdam naevos naturae relinquere, quam periculo infantes exponere.

§. XI.

Notari etiam in infantibus debent conformationis vitia; & consideranda sunt ossa totius corporis, an omnia quoad situm, figuram & connexionem rite & naturaliter se habeant. Hic vero non raro observatur gibbus sive incurvatio quaedam spinae dorsi, qualis in difficili partu vel etiam culpa obstetricis facile contingere potest. Curandum tum quantocius, ut in tenellis vitia haec corrigantur. Ipsa spina dorsi roborari debet fotu calido ex vino & herbis nervinis, aromaticis & unguentis penetrantibus inungi. Interne etiam resolventia adhibere solent. Quod si protuberantia exterius percipiatur, deprimitur spleniis impositis leniter versus interiora, si vero ad latera observetur, blanda pressio versus latus oppositum locum habet.

bet. Ipsi parti affectae lamina aenea imponi solet. Et ita in infantibus non adeo difficulter ejusmodi gibbus sive incurvatio praeternaturalis saepe curari potest, cum in adultioribus dein irrita frequenter sitmedela. Videndum vero etiam, an forte alia ossa extra naturalem situm inveniantur, ut blanda restitutio fieri queat. Quodsi in numero vitium occurrat, pes ex. gr. vel brachium desit, tum medelae locus non est, & docet experientia, tales infantes utplurimum non diu vivere. Si pars aliqua superet, ut sextus digitus vel in pede vel in manu, aut si majores excrescentiae adsint, probe considerandum est, an sectione tolli possint, ne curando magis laedamus.

§. XII.

Observandum vero etiam est, ut infans fasciis & linteis probe obvolvatur, ne scilicet tenera membra vitium aliquod capiant, & calor ad promovendam transpirationem conservetur. Moderate igitur calida illa esse debent, & non nimis stricta, ne incurvationes pedum aut artuum nascantur, & inprimis circa pectus & ventriculum, ne respiratio impediatur, vel vomitus sucti lactis sequatur; nec etiam laxa nimis, ne tenera infantis membra distorqueantur. Brachia & crura obvolvi debent linteis substratis directe posita, quae denuo obvolvenda, ut in illo situ contineantur; brachia videlicet juxta corporis truncum, femora autem sibi proxima particula lintea interposita, ne a contactu & contritu mutuo incalescant. Caput etiam firmandum est, imposito linteo, quod capitellum vocant, ne hinc inde inclinet, quod linteis obvolventibus

tibus mediante acicula annectere solent; ipsi fontanellae admoto linteo molli quadruplicato, ut a frigore aliisque injuriis tenerrima haec corporis pars conservetur. Et conveniens talis fasciatio multum facit ad conciliandam justam & decoram figuram. Quandoquidem vero involuti ita infantes excrementa deponendo se conspurcant, fasciae illae aliquoties de die solvendae& sordida lintea cum mundis permutandae sunt. Mutatio autem illa facienda est prope fornacem aut in aere valde temperato, cum linteis calefactis & siccis, ne frigus vel humiditas transpirationem impediat, catarrhos aut alia gravia mala tenellis corporibus inducat. Quo autem melius transpiratio in infantibus succedit, eo saniores illos esse, testatur HIPPOCRATES *lib. de alimentis.* Hinc in cunas reponi potest infans, jaceatque in dorso, positus enim in latera gibbositatem inducere potest, caput tamen sit paullo elatius, substrato pulvinari. In lecto enim matris vel nutricis eum dormire, antequam paullo robustior existat, tutum non est. Cubiculum, in quo infans commoratur, quantum fieri potest, temperatum esse debet, nec calidum nimis nec frigidum, ut ab omni aeris injuria praeservetur. Neque sit nimis luminosum, sed obscurius paullo, ne luminis fortiore accessu teneri oculi offendantur. Et talis situs infantis in cunis esse debet, ut e directo opposita sit candela vel lumen cubiculum intrans, vel directo semper excipiat lumen, non oblique aut retro, ne dum ad lucem oculos convertit, strabositatem incurrat, musculis versus illam partem motis. Solent igitur velum sive arcum quendam linteis obductum super

caput

caput formare, ut ita & nimium lumen arceatur, & in alia parte quam necesse est, infans lumen non possit excipere. Lactetur etiam utraque mamma, ne si unam semper adspiciat, oculi vitium accipiant. Neque ex obscuro derepente in luminosum locum saepius transferantur infantes, cum & subitá illa mutatio teneris oculis nocere queat.

§. XIII.

Sed nunc & de meconio aliquid dicendum est, quod ut ex corpore infantili expurgetur, prima cura esse debet. Est vero hoc excrementum durum & tenax, nigricans sive ex nigro viridescens, in ventriculo & intestinis foetus, dum in utero vixit, collectum. Germani vocant Heydendreck / quoniam in nondum baptizatis reperitur. Et vero admirationem miretur, quod cum per plures menses foetus vivere in utero cum excrementis illis potuerit; exclusus deinde non possit amplius cum illis vivere, & si non brevi temporis spatio excernantur, gravi periculo exponatur. Videtur vero in causa esse uberior respiratio & aer in totum corpus immissus, & hinc omnium humorum major motus & circulatio, unde talia excrementa in corpore sine noxa persistere non possunt. Et vero si alvus intra 24. horas non excernatur, in magno periculo versari infantes, experientiâ docet. Nec vero aliqua tantum pars meconii, sed totum excerni intra paucos dies debet; ita ut ille color nigricans in éxcrementis non amplius observetur, vel saltem dilutior evadat. Hoc igitur meconium ut ex corpore infantili expurgetur, opera danda est. Sunt, qui existimant, ipsam naturam in mammis mulierum praeparasse

raſſe aliquod medicamentum ſufficiens ad expurgandum meconium; primum ſcilicet lac, quod coloſtrum dicunt. Et SPIGELIVS vocat illud alimentum medicamentoſum, quod natura eum in finem generaverit, ut modice nutriendo, leviter pro infantis imbecillitate purget per aliquot dies. Alii vero inutile & minus perfectum hoc eſſe ſtatuunt & emulgeri jubent. Eſt vero lac hoc ſeroſius & tenuius, quoniam ſpiſſior & pinguior ejus pars tubulos lactiferos anguſtiores intrare non poteſt, ac deinde, ubi illi ſenſim amplianntur & patentiores fiunt. Nulla igitur ratio apparet, quare ſeroſiorem hanc lactis partem rejiciamus, cum vim aliquam purgandi habeat ad purgandum meconium utilem, & tenerum infantem illo tempore ſatis nutrire poſſit. Et vero lac jam plene perfectum ſi infantibus ſtatim uberius exhibeatur, non ita illis conducere, obſervamus; & infantes, imo animalia cum tali alimento primitus aſſumto feliciter adoleſcunt. Quod ſi vero mater lac non habeat, vel primis diebus non accipiat, aut coloſtrum non ſufficere obſervemus, aliis remediis opus eſt, quibus meconium tanquam inutile & noxium excrementum expellamus. Id quod & laxantibus mitioribus fieri debet & vomitoriis lenibus, ut humores per diuturnam in utero moram viſcidiores facti ex ventriculo educantur, ne noceant & morbos excitent. Apud plebem mel cum butyro non ſalito exhiberi obſervamus, felici utplurimum ſucceſſu. Communiter oleum amygd. dulc. recenter expreſſum & cum ſacharo penidio mixtum exhibent; nec inutile hoc medicamentum eſt, cum & humorum acrimoniam mitiget. Et ſi mediante penna eo

intin-

intincta ventriculus ad vomendum possit concitari, etiam hoc nomine laudari potest, cum & hic, uti dictum est, infantibus proficuus esse deprehendatur. Sed saepe hoc oleum non sufficit ad expurgandam meconium praesertim dum infanti parva quantitate, ad unum vel alterum cochlear exhibetur, & potentiora requiruntur. Conducunt igitur hic lenia laxantia, quae viscidam & tenacem illam materiam melius expellunt, uti sunt syrupi purgantes, rosar. solutivus, cichor. c. rhabar. flor. persicor. Manna etiam in jusculis commode exhibetur, imo grana aliquot cremoris tartari illis indi possunt ad magis extergendum mucum. Et haec medicamenta ad expurgandum meconium pro necessitate etiam iterari possunt.

§. XIV.

Sed videamus nunc de nutritione infantum, quae ad vitam sustentandam requiritur. Vbi quidem primis 24. horis illos esurire faciunt; ne scilicet purgato nondum corpore lac ingestum coaguletur & corrumpatur, hinc tormina imo epilepsia excitentur. Potest tamen illis interea aliquid mellis, vel sachari cum oleo amygd. dulc. exhiberi, quod vias lubricat, & acrimoniam humorum corrigit. Hinc vero colostrum, si ipsa mater infantem lactare velit, tanquam optimum & sufficiens primis diebus alimentum concedi potest. Et inconsulto faciunt, qui nutricibus robustis, obesis infantes primo tempore statim uberius alendum tradunt. Gravatur enim exinde tenellus ventriculus, digestionis opus retardatur, cruditates nascuntur, lac ipsum coagulatur; saltem parcius & minori dosi

lac tale exhibendum eſt. Poſt aſſumtum vero coloſtrum lac matris ſive nutricis conveniens nutrimentum eſt, utpote cui jam in utero aſſuevit, ſucco ſcilicet chyloſo, quo nutritus fuit, parum ab hoc differente. Et vero hoc pabulum ab ipſa natura teneris praeparatur, nec tam ornatus gratia mammae mulieribus ſunt conceſſae, quam ut dulcis chyloſus ſuccus in iis praeparetur, quo foetum alere poſſint. Fuere tamen, qui aliud alimentum loco materni lactis ſubſtituere voluerunt, ideo quod illud ſaepe vitioſum ſit in matre vel nutrice morbida, ipſum etiam dein ſaepius corrumpatur per diaetam, animi affectus, aliove modo. Helmontius commendat pultem ex pane ſecalino, cereviſiia tenui, vitello ovi & melle. Alii laudant juscula hordeata vel avenacea, vel ex crepatura hordei, addito vitello ovi, vel emulſiones amygdalinas. His tamen non obſtantibus lac conſtitutioni infantum amiciſſimum eſſe cenſemus, utpote quo & animalia & homines feliciter primo tempore utuntur & adoleſcunt; & contra naturae inſtitutum agere videntur, qui aliud nutrimentum ſubſtituunt. Eſt vero aliquando neceſſitas, apud pauperes ſcilicet, quando lac non habent & nutrices alere non poſſunt, ut aliud alimentum praebeant. Sed retulit mihi Cl. Dn. PRAESES ſe aliquot homines noviſſe, quibus in teneris annis lac denegatum fuit, qui morbidi dein per totum vitae tempus vixerunt. Praeterea maternum lac alieno praeferendum eſſe judicamus, cum illud ex eodem ſanguine generatum ſit, ex quo ſuccus alibilis, quem in utero foetus hauſit. Sed multae foeminae taedia lactationis ſubire renuunt; aliae tenerio-

neriores & debiles ſunt, ut alendo infanti vix ſufficere videantur; aliae morbis quibusdam laborant, ita ut lac illarum infantibus non conferre judicetur, cum exempla non pauca adſint, transmiſſi hujus vel illius morbi mediante matris vel nutricis lacte. Et retulit mihi Cl. Dn. PRAESES exemplum matronae morbis obnoxiae & plurium liberorum matris, quorum aliqui, quos ipſa lactavit, morboſi ſunt, reliquis ſanis & vegetis. Tali igitur rerum ſtatu potius nutrici traditur infans: ſed videndum eſt, ut nutrix, quae eligitur, ſit ſanae conſtitutionis, ne factae mutationis poenitere queat.

§. XV.

Bene igitur conſiderandum eſt, an nutrix eligenda ſit ſana, an vero morbida & affectibus quibusdam obnoxia, qui in infantem trasmitti poſſunt. Ita inprimis inquirendum, an lue venerca illa ſit affecta, utpote quam per lac frequenter propagatam fuiſſe, triſtia exempla ſatis docent. Produnt hunc morbum ſaepe oculi & facies; perluſtrentur vero etiam mammae, & ſi in his minutiſſima puncta ſe viſui offerant veluti unguibus ſculpta, infectae eſſe ſolent. Pedes etiam & collum inſpici poſſunt, & ulcuſcula ac cicatrices ſaepe turpem hunc morbum adeſſe indicant. Indagandum praeterea, an aliorum morborum notae appareant, an ſcilicet nutrix ſit phthiſica, ſcorbutica &c. quales teneris infantibus non conveniunt. Sit potius nutrix bonae conſtitutionis & habitus, coloris vividi. Ipſae etiam mammae cum papillis conſiderari poſſunt; mammae mediocres laudantur, durae non flaccidae, quaeque lac ſtatim reddunt. Papillae aliquando nimis te-

 nues

nues ſunt, ita ut infans eas non facile ore firmiter comprehendere poſſit; aliquando nimis longae & craſſae, minus etiam ad ſuctionem commodae. Inprimis vero lac nutricis conſiderari debet, an ſit bonae notae.

§. XVI.

Examinatur vero lac quoad colorem, ſaporem, odorem atque conſiſtentiam; & probatur lac, ſi color ſit albidus non viridis non flavus. Sapor non ſit amarus, acidus vel acris aut ſalſus, ſed dulcis. Odor non ſit ingratus vel foetidus. Aliquando pingue nimis etiam lac eſt, & probatur magis aliquanto ſeroſius. Conſiſtentiam vero examinare ſolent, ungui ſuperfundendo; ſi ſubſiſtat & non ſtatim defluat, bonam conſiſtentiam habere judicant. Quod ſi vero in matre vel in nutrice vitioſum vel praeternaturale lac adeſſe obſervetur, ut illud, quantum poſſibile, corrigamus, opera danda eſt. Hoc vero ut fiat, tota conſtitutio & temperies ut & morboſae diſpoſitiones lactantis ſunt conſiderandae, utpote a quibus vitia lactis dependere ſolent. Ita ſi ſcorbuticus ſanguis adſit, locum habent talem ſanguinem corrigentia, quae alibi traduntur. Si macilenta ſit mulier & ad phthiſin diſpoſita, ſanguinem acriorem emendantia, aliaque contra hunc morbum proficua conveniunt &c. Poteſt etiam inſtitui venaeſectio, ſi plethoricum ſit corpus, imo purgationes & vomitoria exhiberi, ſi crudis & vitioſis humoribus ventriculus ſcateat. Digeſtio etiam convenientibus remediis promoveri debet. In genere nutricibus commendatur aniſi & foeniculi uſus, ſi ſemina eorum poſt paſtum aſſumantur, imo herba etiam & radix foeniculi. Vim

habe-

habere creduntur lac augendi idque emendandi & grumeſcentiam ejus impediendi ob aromaticam virtutem. Si graviores animi commotiones ira, terror, praeceſſerint, corruptio lactis inprimis metuitur, & ſolet effectus in teneros infantes mox redundare & ipſae mammae nutricis duritiem a ſtagnante lacte non raro concipiunt. Emulgenda tum foemina eſt, nec intra aliquot horas infantem uberibus admoveat; hinc danda ſunt ſudorifera, ut ſanguis & lac ſtagnans diſcutiatur, mammis applicato emplaſtro de ſpermate ceti Myns. ſacculis calidis diſcutientibus ſuperimpoſitis; ſperma ceti propinatum etiam laudatur. Cæterum diaeta conveniens multum ad lactis emendationem facit, eaque ratione vitii, quod in lacte deprehenditur, inſtitui debet, ſive ſit tenue & aquoſum nimis, ſive craſſius vel acrius. In genere caveat nutrix a cibis ſalitis, acidis, acribus. Vitentur etiam flatulenta, fumo indurata, & quae ſunt difficilioris concoctionis. Vbi tamen monendum, nutrices plebejas, non adeo delicate eſſe tractandas, cum illae duriori victui ſint aſſuetae & cum illo optime ſe habere ſoleant. Et ſi lautior illis praebeatur victus, voraces & nimis pingues fiunt & ipſe ſanguis earum impurus reddi ſolet, quod infantibus valde noxium obſervatur, teſtante FERNELIO *in pathol. l.* 1. *c.* 25. Fugiat etiam nutrix frigus, pectus & mammas veſtibus probe muniat, nec in pavimento praeſertim frigido pedibus nudis incedat, nec aquae frigidae eos immittat. Excreta & retenta, uti dicuntur, bene ſe habeant, alvus non ſit obſtructa, menſes in iis ſuppreſſi eſſe debent, & ſi fluant, niſi plethoricae ſint foeminae, foetum debilitare ſolent, & ſi fieri poteſt, talis nutrix removenda eſt, utet & ſi durante lactatione conceperit &c.

§. XVII.

§. XVII.

Vti vero qualitas vitiosa, ita etiam quantitas exhibiti lactis considerari debet & frequenter in eo peccatur, ut junioribus infantibus a robustis & copia lactis abundantibus foeminis nimium ingeratur, unde varia incommoda morbique in infantem derivantur, & saepius id fieret, nisi vomitu saepe rejicerent nimium lac propinatum. Parcius igitur recens natis lac est exhibendum & praestat hic peccare in defectu, quam in excessu; quoniam a nimia copia maxime gravatur tener ventriculus, cruditates mascuntur, tormina & alia incommoda accidunt. Praeter lac vero etiam infantibus pulmenta statim primis mensibus imo diebus exhibere solent, ut scilicet eo magis nutriantur. Et quidem plebejae mulieres ex farina & lacte illa conficiunt, qualia tamen stomachum tenellorum gravant, & crudos succos progenerant. Rectius igitur ex Ethmulleri sententia ex pane similaginio exsiccato & trito cum lacte conficiuntur, addito semine anisi pulverisato. Haec enim in ventriculo facilius digeri possunt & flatus ac tormina minus excitant. Vix autem opus est, ut in recens natis pulmenta talia exhibeatur, cum lac maternum satis superque sufficiat ad eos alendos, imo primis mensibus illis carere commode posse, existimamus, saltem si lac sufficiens matribus adsit. Sed haec nunc de tuenda valetudine recens natorum sufficiant. Deo vero pro concessis viribus sit laus honor & gloria in aeternum.

FINIS.

SIe zeigt gelehrter Fleiß/ wie bey den kleinsten Kindern
Viel zu besorgen sey; weiß't Weg und Mittel an/
Wie man so mancher Noth mit Nachdruck steuren kan/
Und durch geschickte Kunst ihr Ausbruch zu verhindern.
Nichts kindisches ist hier/ dieweil ein jedes Blat
Von **Deinem** Witz/ **mein Freund**! die schönsten Proben hat.
Drum da **Dich** nach Verdienst Hygäens Lorbeern zieren/
Wünscht mein erfreuter Sinn: GOtt dessen Seegens-Krafft/
Ihr aus der Kinder Mund ein mächtig Lob verschafft/ Ps. 8, 3.
Geb daß **Dein** Hertz ihr Heil in Uberfluß mag spüren.

Hiemit wolte dem Hochgeschätzten Herrn Auctori dieser disputation seinem hochgeliebtesten Freunde aus ergebensten Hertzen alles selbst beliebige Wohlergehen anwünschen/ und schuldigst gratuliren/ Dessen ergebenster Diener und Vetter

H. J. GERMAR Past. Adj. Redd.

ES lässet sich heute auf Helicons Höhen
Die Reihe der Musen in Frölichkeit sehen/
Sie bringet ein liebliches Opffer heran/
Die Cymbeln erschallen/ die Saiten erklingen/
Man höret Posaunen und liebliches singen/
Und was die Gemüther vergnügen sonst kan:
Darum weil ihre Lust noch grössern Anwachs findet/
Indem ein **theurer Mann** sich fest mit ihr verbindet.

Herr Vetter! Sie sind es/ warum man sich freuet/
Sie sind es um welchen man Palmen ausstreuet/
Ihm hat man schon längstens den Krantz zugedacht/
Der nur der Gelehrsamkeit eintzig verbleibet/
Da man Sie **Herr** DOCTOR bald nennet und schreibet/
Das hat Ihr besonderes lernen gemacht;
Da Sie von Jugend auf der Weisheit nachgegangen/
Als deren grossen Lohn Sie nun davor empfangen.

Drum wünsch' ich/ daß diese erfreuliche Ehre
Noch täglich bey **Ihnen** sich grösser vermehre/

Wenn jedermann erstlich Ihr Wissen erkandt.
Der Himmel geb' immer den glücklichen Seegen
Auf Ihren nothwendig- und nützlichen Wegen/
So wird Ihr Bemühen sehr wohl angewandt.
Sie aber laß er auch sehr hohe Jahr erreichen/
Daß Sie an Alter nichts dem alten Nestor weichen.

Hiedurch wolte dem Herrn Vettern seine Ergebenheit bezeugen

AVG. WILH. KNOPFF. Guelpherbyt.
S. S. Theol. Cult.

WEr es durch seinen Fleiß und Witz so hoch gebracht/
Als Du, Hochwerthester! der kan sich glücklich schätzen/
Daß er nach dem Verdienst zum DOCTOR wird gemacht/
Dem solt man billig wohl ein Ehren-Denckmahl setzen/
Jedoch ein jeder setzt/ worin er ist gescheut/
Und unternimmt sich nichts/ wozu die Kräffte fehlen.
Drum sey mein Denckmahl dies/ GOtt gebe jederzeit/
Daß Deine Medicin mag viele Früchte zehlen.

Hiemit wolte sich in des Herrn Doctorandi geneigten Andencken und beständigen Gewogenheit gehorsamst empfohlen haben

JO. GOTTL. DETTEN. Wernigerod.
J. V. Cult.

Sonnet.

KOmmt meine Muse schon in keinen Feyer-Kleide/
Da sie Dein Ehren-Tag gereitzet und ergötzt;
Vergönst Du, wehrter Freund, ihr doch die milde Freude/
Mit der sie um Dein Glück die trockne Feder netzt/
Denn siehe/ Kunst und Witz schmückt Dich nochmehr als Seide
Und als der Purpur-Hut/ darnach man beydes schätzt/
Und was ist also wohl/ das Deinen Krantz beschneide/
Wenn auch mein Kiel hier nichts von Deinen Lobe setzt?
Drum schweig ich auch davon und will es nicht berühren:
Hygäe legt Dir selbst das schönste Zeugniß bey/

Denn/

Denn/ spricht sie/ kan man erst die Kinder recht curiren/
So weis man auch hernach was alten dienlich sey.
Und recht: dies weist Du auch/ dies Lehren Deine Zeilen.
Wills GOtt! so wird Dein Amt noch vielen Hülff ertheilen.

Hiemit hat den Herrn Candidatum seinen Hochgeehrten Herrn Vettern schuldigst Glück wünschen wollen.

GEBHARD JOHANN DRVDE, aus Halberstadt der H. Schrifft beflissener.

ES ist zu dieser Zeit fast alle Lust verschwunden/
Die man im Sommer sonst sehr angenehm befunden/
Indem der Winter sich gar plötzlich eingestellt/
Und fast erstorben liegt/ das sonst bebaute Feld.
Ist gleich der kalte Nord die Wälder durchgestrichen/
Ist die Pomona gleich erstarret und erblichen/
Ist gleich der Floræ Schmuck und holde Ammuth fort/
Und was sonst herlich stand/ erstorben uud verdorrt/
So ist Herr Groven doch ein Freuden-Tag erschienen/
An dem Sein Libanon, und alle Cedern grünen;
Ja/ wird man gleich zuletzt sein Lebens-Ende sehn/
So wird Sein Lob und Ruhm doch nimmermehr vergehn.

Mit diesen schlechten Zeilen wolte sich dem Hochwehrten Herrn Doctorando gehorsamst recommendiren.

L. A. WESTING. Luneburgens. S. S. Theol. Cult.

Sonnet.

DEr Nahme ohne That ist wie das falsche Geld
So schön von aussen scheint/ und viele doch bethöret/
Wie die Erfahrung dies/ mehr als zu viel gelehret/
Doch wenn man selbiges bey reinen Silber hält/
So sieht man offenbar/ daß dessen Schönheit fällt/
Weil ein warhaffter Schein das Blendwerck schnell verstöhret/
Deswegen wird es auch sehr wenig mehr geehret/
Da sich an seine statt ein besser Bildniß stellt.

Wie

Wie lieblich ist demnach der Nahme mit der That
Den Er mit grossen Ruhm Gelahrter Grove hat;
Ja die gelehrte Welt lernt Jhn noch besser kennen/
Weil Seine Wissenschafft so Mund als Feder zeigt/
Und mit Verwunderung bey Elmens-Musen steigt/
Drum wird man Jhn forthin mit Recht Herr DOCTOR nennen.

Hiemit wolte seine Schuldigkeit gegen den Herrn Candidaten bezeigen

L. J. SCHULTZE. Luneburgens.
S.S. Theol. Stud.

EIn aufgeblaßner Geist/ der gleich als Jcarus
Sich über andere weit zu erheben trachtet/
Sieht/ eh' er sichs versieht/ daß Künheit fallen muß/
Und ist dann offenbahr vor jedermann verachtet/
Wer aber seinen Flug nach Dädals Warnung lenckt/
Der träget Ruhm davon/ und wird das Ziel erreichen/
Wornach sein munters Hertz mit grosser Sehnsucht denckt/
Darff auch nicht vor der Zeit die Hoffnungs-Segel streichen.
Da nun Herr Grove jetzt das rechte Ziel erlanget/
So rufft man Jhm zugleich auch dieses Vivat zu/
Der Himmel seegne Jhn biß Er dereinsten pranget
Vor GOttes Angesicht/ in recht erwünschter Ruh.

Hiemit wolte sich des Herrn Doctorandi Gewogenheit jederzeit ausbitten

O. F. BÖTTICHER. Cellens.
L. L. Cult.